

credatur, vide cujus te culpa reum facias, si velle negotii  
quod dicebam, vel ab ipsa morte (quae procul sit) interrum-  
pi te sinas in viâ verissime veritatis. Vale, et si me  
amas, posteros quoque, quorum causam ago, et qui te  
praesente non fruuntur, amare te, dum potes doce. Scribe  
inter mille turbas atque auocamenta, in praetoriâ Prin-  
cipis ad Vornam Insulam s. Cal. Sept: 1640.

Smithio.

Ampl. ac doct. Smithi. (290)  
De Neomago tuâ, vel jam nostrâ, quid sentiam, soluto  
nuper sermone prolocutus, carmine nunc autorem ipsum  
aggredior, quando mihi in re seriâ ludendi et audaciam  
humanitas tua dedit, et impetum Epigramma Lepidissi-  
mum, quo et mei praeter meritum nuper meminisse  
voluisti. Ignosce rudi metro, quippe inter non  
armorum modò, sed Aula quoque et muneris mei  
perpetuas turbas nato. Si quid venia in antecessum  
das, reliquum cominus et propediem, si Deus volet, ex-  
torquebo. Discedimus enim ex continente, atque ut  
Civili tuis, per oppidi Batavorum cineres in Insulam  
concedemus, saluâ Neomago tamen et incolis, nequid  
sinistri augureris. Vale Vir Amplissime et amicus  
Tuus.  
Graue 22. Sept: 1640.

Quadrimum est, et quod excussit  
cum ad mirabilem Puellam Schuomannam  
Epigramma misi, quod huic adieci, eò quod  
non absenti argumenti videretur, ac tum  
temporis, nescib quam aequo vel iniquo plausu  
a Literatis amici exceptum fuit. Unde et  
memoria obhasit, lubrica aliacivis, et  
nostrarum ineptiarum quantum par est  
negligenti.

Smithio.

(291).  
Suspicias et praevideo, Smithi amplissime, tantillum otij  
nobis in oppido Batavorum ~~sedes~~ non iri datum, ut  
vel ex itinere te salutem. Statuit enim Princeps,  
cum diluculo hinc discessurus grandium Arnhemii  
sumeres. liceat itaque hoc officii, scripto implere,  
et si me amas, crede vim invito fieri, quoties  
Neomagum

Neomagnum adveni, praestantissimum civem, et amicum  
 optimum conveniendi facultas eripitur. Vale raptim  
 Francae 11X Cal. Octob. C1515CXL.

In epigrammate quod heri a me acceperis  
 dubito an non pro Cunas Roma, parentes Imputatae  
 heri ut in adversariis est, scripserim cunas Roma, nutricem  
 quod prosodia non ferret. Si sic erravi, quod facile  
 condones, si videas, quam hic procul a secessu et otio  
 poetarum sim, quaeso ut emendes.

Bannio

(292).  
 Dum in itinere fui, Vir Amplissime, quod comite de petro  
 nesto, perubili, ac perjuvando nuper auspicabamur, ad ultimum  
 septentrionem nostrum, plerasque has mediae coeli  
 Zonae terridiores chartas accepi, tibi ut intelliges, tradendas.  
 Vides quas crabrones irritaveris, et si quid repositurus es,  
 mihi quoque in antecassum candidus imperti. memor  
 interim promissi Monochorduli ac ceterorum quae te  
 erudiendo mihi amice praestitutum pollicebare. Etenim  
 Theoriae tenus refractarium tironem nunquam me  
 habuisti, aut habiturus es, nec ipsos quidem opinor Gallos.  
 Ad regulas modo quas ab eo deductas satis pro imperio  
 praescribere videris, est quod non uno trihorio disser  
 temus ac decertemus. Vale vir doctissime atque  
 amicissime, et haec scripta, cum earum te satias ceperit  
 remitte. Scribe Huga Com. v. Id. Dec. C1515CXL  
 Tuis.

Joanni ab Holtzer  
 Praeposito Plessensi.

Nobilissime Domine

(293).  
 Injunxit mihi celsissimus Princeps meus, ut ad literas  
 quas Duijsburgo ad ipsum scripsisti, paucis reponerem  
 si vel Suecos vel Francos adire parat, per se quidem  
 licere, verum cur vel hoc vel illud suo mandato fiat,  
 nihil esse causae esse. Prainde utramcumque in partem  
 inclines tunc potestatis, et arbitrii rem esse. De simili  
 deinde hic conscribendo falsissimi rumores sunt, quin  
 si ordines audiamus, pridem in exauctorandis copiis  
 simus quas veteri militiae ante quinquennium et  
 quod